

## De qualitatibus mortis nati.



**V**ANITAS uitæ, mortisq; qualitas ex Athazir obuiante, quem interfectorem nuncupant, depræhenditur. Hæc namq; abbreviatio aliquando ex sola applicatione per corpus, aliquando per projectionem radiorum significatoris ad interfectores, uel econuerso ex intercisa arcuatione graduum circuli æquinoctialis determinantur. Cum enim significator ad radium interfectoris quadratum uel oppositum, uel per corpus applicuerit ipso interfectore existente forti, & super significatores uictoriam obtinente, decernit mortem. Si autem super locum significatoris fortunæ radium proiecerint, ipsis existentibus in potestatibus suis, liberat natum à periculo, uitam longiorem subministrantes, ut alibi docebitur.

Confidera gradum illum qui abscindit, cuiusmodi statum habeat, & naturam planetæ ibi stantis in illo gradu, uel eius qui projicit radios suos in illum, exaugendo gradum abscisoris.

Confidera etiam naturam planetæ stantis circa illum gradum, qui antecedit eum, aut proprio cursu suo, aut per motum æquinoctialis, seu directorium. Vide etiam naturam figuræ quæ fit per coniunctionem, & per comixtionem harum rerum, unius cum alio.

Confidera etiam naturam signi in quo est gradus ille, uel in quo est planeta aspiciens gradum ipsum, uel qui uadit ad eum. Vide etiam naturam termini illius gradus interficientis, id est, qui planeta habeat terminum in illo gradu.

Cum Saturnus dominus mortis fuerit, id est, cum Hylech, pertinet ad radios quadratos uel oppositos Saturni interfectoris, occasione longæ infirmitatis pthili, aut catarro, uel propter corporis dissolutionem, uel ethicam febrem, nec non ex hydropisi, uentrisq; solutione, seu ægritudine uulvæ, & in alijs infirmitatibus, quæ sæpe frigoris occasione proueniunt, mors nato superuenire dicitur.

Iupiter dominus mortis per peripneumoniam, aut apoplexiam, aut spasmodum, uel ex cephalia seu cordiaca, omnibusq; infirmitatibus quæ ex uentositate nascuntur, uel per foetidos odores ei mortem prouenire significat.

Mars dominus mortis, ex occasione febris asidua uel tertianæ continuæ, aut phrenesis, aut epileptici morbi, uel alicuius sanguinis meatus, uel abortus, seu partus, uel erisipelæ, aut ægritudinis mortiferæ, aut morpheæ, aut ex quibusuis infirmitatibus ex calore superfluo uenientibus, mortem decernit.

Si fuerit Venus domina mortis, stomachi uel epatis, seu cordis uitio, seu sanguinis, egestione, siue mobilibus apostematibus, uel fistulis, aut potionibus, omnibusq; morbis humorum superfluitate contingentibus, uitam nati abscindi determinabis.

Cum fuerit Mercurius dominus mortis, ex perturbatione mentis, uel ex mania, aut præcipitatione, aut epilepsia, uel tussi, aut ex pleuresi acuta, aut ex nimia siccitate proueniente morbo, mors nato occurret.

Mors quædam est naturalis qua per se homo moritur: Alia uiolenta, qua quis moritur gladio, lancea, igne, morsu bestia uel fera, aquæ submersione, uel ex loco alto præcipitatione, uitam finit.

Cum gubernatores mortis fuerint ab infortunis salui indignitatibus proprijs, & loco figuræ conuenienti, nec super eos infortunæ eleuentur, mors naturalis illi continget, idem etiam colligitur ex infortunis eleuatis super interfectores ipsis debilibus existentibus, & in locis, id est, signis alienis.

Mors